





Botan 255<sup>d</sup>.



Bot. Vol. 2.

8

ACADEMIAE WITTEBERGENSIS

H. T.

RECTOR

ET

FACULTATIS MEDICAE DECANVS

D. GEORGIVS RVDOLPHVS

BOEHMER

DISSERTATIONEM INAUGVRALEM

D. XVIII. MENS. MART. A. MDCCC

HABENDAM INDICIT

ET

PLANTAS FABVLOSAS INPRIMIS MYTHOLOGICAS

RECENSET

SPECIMEN I.

---

WITTEBERGAE

LITTERIS CHRISTIANI PHILIPPI MELTZERI

ACADEMIAE TYPOGRAPHI.







Multae in historia plantarum narrantur fabulae, quae partim virtutem earum magicam concernunt\*), partim ad earum sympathiam et antipathiam spectant, partim ad signaturam, sive notas externas, ut ex iis vires cognosci possint, pertinent\*\*), partim denique in Mythologia occurrunt. Cur poetae inprimis plantas fabulis involverent, multae forsan fuere causae, inter quas forte non ultima fuit, ut in tanta plantarum copia memoriae discentium consultum irent, atque hinc palmaria plantarum genera amoenissimis imaginibus occultaverunt, simulque earum totam quasi effigiem et proprietates repraesentarunt. Illae autem praecipue fabulae omnem desiderant attentionem, quae ex Mythologia declarari debent, et de quibus scripsit POMMEY\*\*\*). Non sunt fabulae anilia commenta, aut insullae enarrationes somniorum, habent et a clarissimis scriptoribus auctoritatem et venerationem, a vetustate et historia, cuius ingeniosae umbrae sunt, commendationem, et sensu, quem sibi nucleo reconditum continent, utilitatem maximam pari delectatione conditam. Atque has inprimis ex Veterum Geoponicorum et Magni illius fabulatoris OVIDII, aliorumque scriptis colligere, et earum originem declarare constitui. Egit quidem de his iam peculiari dissertatione, Plantarum historia fabularis inscripta et Witt. 1713 edita THRYLLATIVS, octo autem tantummodo notavit plantas, scil. Narcissum, Crocum, Smilacem, Brassicam, Rosam, Liliam, Hyacinthum, Helio-

\*) De quibus in genere egit HEUCHERUS in Diff. de Vegetabilibus magicis. Witteb. 1700. et recusa Eius Oper. p. 766. et MENZIUS Diff. de plantis ad res magicas facientibus. Lips. 1705.

\*\*) De quibus inprimis conf. PORTAR Phytognomica, Neapolis 1588. edit. quem secuti fuerunt Crollius aliique.

\*\*\*) In Panthei Mythici Praef. in fine.



Heliotropium, et praecipue inquisivit, quid sub his fabulis intelligi debeat, et quos ferant fructus rei botanicae, declarare studuit. Longe plures autem sunt plantae, quarum originem ex Mythologia deducere debemus, hinc non superfluam omnium, quae huc spectant, recensio- nem fore, existimavimus.

*Myrtus* sacra erat Veneri, sacra quoque Baccho et Minervae quoque chara fuit propter Myrinen, puellam atticam, pulchritudine omnes puellas superantem, fortitudine omnes iuvenes; Minervae autem Deae grata erat, et versabatur in palaestris et stadiis, et iuvenes certantes et vincentes coronabat. Quidam vero victi et superati, puellae indignati, ipsam invidentes occiderunt. Nec tamen Minervae Amorem erga puellam extinxerunt, sed adhuc Deae dilecta manet Myrtus; vid. Geoponic. L. XI. c. 6. p. 305. Ab aliis autem fingitur, Myrinen ab aemulo iuvene, quem cursu superaret, interfectam et in hanc arborem mutatam fuisse. Conf. RUELLII Hist. stirp. L. I. p. 196. De corona Naucraticae Myrtea et Veneris miraculo lepida narratio est Polycharmi apud Athenaeum L. XV. p. 675. Herostratus, Naucraticam patriam suam repetiturus, Veneris imagunculam in Papho Cypri emit, orta mox tempestate, qui in eadem navi erant omnes ad eam confugerunt, Deae salutem suam commendantes, adfuit invocantibus illico propitia, totiusque navis ambitum Myrtis virentibus complevit, odore suavissimo nausea laborantes recreavit, solemque reduxit. Reversus domum Herostratus simulacrum Deae et Myrtis in Veneris aede dedicavit, evenitque ut haec novo miraculo statim reviruerint et s. p.

*Amaracus*, alias Sampfuchus, Maiorana. De huius plantae ortu fabulam narrat SERVIVS ad Virgil. Aen. 1. p. 235.

ubi mollis Amaracus illam

Floribus et dulci adspirans complectitur umbra.

Amaracus, Cynarae, Cypri Regis puer unguentarius, qui casu lapsus, dum alabastrum, unguento fragrantissimo refertum, ferret, fracto eodem maiorem ex contusione odorem creavit; unde optima unguenta  
Ama-



Amaracina dicta fuerunt; hinc postea, cum nimio odore contabuiſſet, in herbam Sampſuchus mutatus est, quae deinceps ab eius nomine coepta est Amaracus appellari.

*Viola.* In Geopon. L. XI. c. 22. p. 317. legimus; Violae florem natum esse ex ea, unde nomen habet; etenim Iupiter Io puellam amavit, et ex amore coiit, et, ut lunonem res lateret et non innotesceret, naturae transmutationem fecit. Deprehensus enim Iupiter et factum celare cupiens, hominem in buculam transmutavit. Terra vero in honorem dilectae Iovi florem protulit, qui iuenculae pabulum esset, et sane flos propter ipsam factus ex ea nomen tulit, et fortunam puellae coloribus suis ostendit et s. p. Alii, violam quasi dici Vitulam, propterea, quod flos hic in pabulum Ius puellae, iam in Vitulum conversa, a terra fuisset effusus, ac graecis similiter a puellae nomine Ion appellatus. Fabulam hanc eleganter exposuit RAPINVS Hortor. Libr. I. p. 9. Alii, ut NICANDER, quod Nymphae quaedam Ioniae florem cum Ioni primum munere dederint; versus Nicandri, quibus lepide haec fabula exprimitur, leguntur apud Athenaeum L. XV. p. 683:

At tu formosa et confere et pange  
 Floris violarum duplicia colore genera  
 Pallidum alterum, alterum aspectu simile auro,  
 Ionides Nymphae puram et reidentem coronam Ioni  
 Texere cum cuperent, in Pisae hortis  
 Eos terra flores peperit, nunc autem Ion cum canibus venatis  
 Suorum membrorum sordes abluerat in alpheo  
 Ad vesperam cum laonibus dormiturus.

*Populus.* Profiat Fabula apud OVIDIUM Met. L. 2. v. 325 sqq. et vers. 340 scripsit;

Nec minus Heliades sletus et inania morti munera  
 Dant Lacrymas etc.

Solis



Solis filiae Heliades dicuntur, fueruntque Phœthusa, Lampetia et Phœbe, earumque frater erat Phaetantes, hinc etiam Phaetantoides appellatae, dum fratris casum in Padum fluvium per plures menses assidue fleviscent, tandem Iovis misericordia in Populos arbores, vel ut alii volunt, et inprimis APOLLONIUS in Alnos, lacrymae autem earum in Electrum conversae fuerunt. Vid. POMEY Panth. myth. P. I. p. 39. Legimus etiam, cum ad Cerberum descendisset Hercules, cana revinctus, Populo horrentem comam, ut ait SENECA, unde decolor folium, nam qua parte sudore herculeo immaduit, album, superiore vero fuligine et fumo Acherontis obscurum evasit, unde Populus Herculeae arbor umbrosa Coronae. VIRGIL. Georg. 2. v. 65.

*Hyacinthus.* Duae de hac planta exstant Fabulae; una est de Hyacintho, elegantis formae puero, ab Apolline et Zephyro amato, cum vero propensior in amorem Apollinis appareret, odium et indignationem in se concitavit, et a Zephyro interemptus fuit. Hanc narrat NICANDER in Theriacis vers. 902. p. 65. edit. Paris. 1557 sequentibus

Flos Hyacinthi flebilis, acres.

Qui Phoebæ movit gemitus lacrymasque dolenti,  
Postquam apud Eurotæ mactavit flumina nolens  
Tenaridem impubem, cerebrumque et mollia saxo  
Forte percussus perrupit tempora discus.

namque dum illi disco simul ludunt flatu suo impulit, ut in terram decidens discus, quem Apollo in sublime iecerat, saxi percussu resili-erit in Hyacinthi caput eumque occiderit, ex cuius cruore in terram effuso productus fuit flos; hinc OVIDIUS Met. L. X. v. 210:

Ecce cruor, qui sulcus humi signaverat herbas  
Definit esse cruor;  
Flos oritur, formamque capit, quam Lilia si non  
Purpureus color his, argenteus esset in illis.

Altera



Altera fabula est, Aiacem in eundem florem conversum fuisse, dum scilicet, ut BURMANNUS apud Ovidium p. 853 tradit: Aiacis et Ulyssis gesta erga rempublicam in bello perpenderentur, et digniori propositum praemium tribueretur, ab Aiace arma abiudicata fuerunt e Ulyssi data, qua Ille contumelia accensus incubuit ensi et ex eius cruore flos purpureus, similis Hyacinthi, natus est, atque ad hanc certe spectant versus NICANDRI apud Athenaeum L. XV. p. 683 dum scribit:

Iris radicibus lascivens, Hyacintho  
E cruore Ajacis nato similis.

Utramque complexus est OVIDIUS, Met. L. XII. ab initio ad vers. 399. Primam autem Hyacinthi nominis Syllabam in flore hocce inveniri, traditum fuit, et OVIDIUS X. v. 215 scribit:

Ipse suos gemitus foliis inscribit et ai ai  
Elos habet inscriptum, funestaque littera ducta est.

Cf. PLINIUS L. 21 c. 10. VOSSII Lexicon Etymol. p. 254. RAPINUS in Hort. L. I. p. 10. Hyacinthum veterum esse Delphinium, asserit LINNAEUS in Horto Clifford. p. 213 et ai ai litterae repraesentantur in inferiori nectarii parte, sed obverse, vel potius Λ. Λ. Λ. Hyacinthus forte nomen accepit, quia μετα το υειν ηειν αυθος] florem emittit, ubi terra vernis imbribus permaduit. Conf. BLANCARDI Lex. Med.

Lotus. OVIDIUS Met. L. IX. v. 341 cecinit:

In spem Baccharum florebat aquatica Lotos  
Carpserat hinc Dryope et f. p.

Explicationem addidit BURMANNUS p. 651. Dryope, Euryti filia, quae puchritudine Apollinem in suos amplexus pellexit, cum ex Andraemone



mone viro iam filium peperisset, ad locum quendam, ut coronas Nymphis dicaret, pervenit, ubi cum ex loto arbore florentes ramos, quos puero daret, decerpisset, ecce guttas sanguinis ex arbore stillantes aspexit, quare territa, cum refugere vellet, in arborem sensit se transfigurari. Servius autem, notante Vossio p. 295, scribit: Lotos nympa quaedam fuit, quam cum amatam Priapus persequeretur, illa Deorum miseratione in arborem conversa est, quae vulgo Faba Syriaca dicitur.

*Aconitum* ex Spuma Cerberi ortum, extrahente ab inferis Hercule, ideoque apud Heracleam ponticam, ubi monstratur eius ad inferos aditus, narrant fabulae. Alia est: Hercules, dum ad inferos descendisset, ut canem tricipitem ad superos perduceret et postquam eum in regionem ponticam perduxit, ex novitate aeris, solisque lumen non ferens, evomuisse perhibetur, quo vomitu enatum *Aconitum* fabulatur. Vid. OVIDIUS *Metam.* L. VII. v. 402 sq. PLINIUS L. 26. c. 11 et GORRAEUS in *Nicandri Alexiph.* p. 178. Adhuc alia est apud AUSONIUM, *Idyll.* V, qui ex Promethei sanguine generatum contendit. Vid. et PLIN. L. 27. c. 2. Alii Medeam, Athenis ingressam, hospitioque susceptam, Aegeus Rex matrimonio sibi junxisse tradunt, inter haec Theseus, Aegei filius, quem nunquam antea viderat pater, errore et laboribus plenus advenit, quem verita Medea protinus ei venenum parat, quod *Aconitum* appellat. Vid. *Notas BURMANNI* apud OVID. p. 497. *Aconitum* a cotibus dictum videtur, quia in iisdem nascitur.

*Crocus*, de quo tantummodo apud OVIDIUM *Met.* L. IV. v. 283 legimus:

Crocon in parvos versum cum Smilace flores praetereo.

*Crocus* adolescens fuit, quem *Smilax* virgo cum amaret, neque frui posset, ambo in flores fuerunt conversi, unde *Smilaceae* *Croceaeque* coronae dicuntur. Virginem *Smilax* propter amorem juvenis *Croci* mutatam fuisse in hanc fruticem asserunt nonnulli; alii autem tradunt



dunt, Crocon non ex amore in florem defecisse, sed a Mercurio, a quo per lufum disco incautus interceptus fuerat, conversum fuisse.

*Brassica.* De qua nihil refert OVIDIUS, est vero illa a PAXAMO ex Nestoris Alexikepo in Geopon. Coll. L. XII. c. 17. p. 337 memorata. Qui Brassicam Lycurgi lacrymam esse, retulit, cum enim Bacchus eum timens, inquit, mare subiisset, Lycurgus vero vite vinctus lacrymam emisisset, ex Lacryma Brassica enata fuit, et ob id antipathiam inter Vitem et Brassicam mansisse. vid. et RUELLIUS L. 2. p. 362.

*Narcissus.* Lyriope Nympha, a Cephiso flumine impraegnata, peperisse dicitur puerum formosissimum, a multis frustra petitis adolescentibus atque puellis. Echo nympha autem in Narcissum, per sylvam vagantem, incidens Iuvenis mirata forma amore capitur, et fugientem insequitur ac amplectitur, sed divellit ille manus amplexibus proripitque se ab eius conspectu; Echo spreta se in sylvas abdit et prae moerore cotabescit. Narcissus autem se ipsum amabat, et assidua venatione fatigatus, fonti sitiens incubuit, suaque allectus forma et amator et amatus fuit, sui autem amore captus periit. Fontem enim adiens imaginem suam amore profecutus est, sui vero impositus, et se ipsum prehendere nesciens, aquis se immerfit et amoris levamine quaesito vitae exitum sortitus est, nihil autem inde commodi percepit, nisi, quod in florem cognominem conversus fuerit. Vid. Geoponic. L. XI. c. 24. p. 316. et OVIDIUS Met. L. 3. vers. 402 sqq. et vers. 509 scripsit:

Nusquam corpus erat, croceum pro corpore florem  
Inveniunt, foliis medium cingentibus albis.

Et si PLINIUS Lib. 21. c. 19. *απο της νεφους*, quod nervis torporem inducat, nomen traxisse censet, licet tamen ad fabulam paulisper respicere et ab aqua, in qua refrigerium invenit puer cum VIRGILIO in Cabric. v. 407 dicere:

Cui gloria formae  
Igne cupidineo proprios exursit in artus  
Aquatilem dice narcissum.

B



Quae restant, proxima, quam praevidemus, occasione exhibebimus. Nunc enim ad illud deveniendum est, cuius honori hoc dicavimus; scilicet

NOBILISSIMUM ET DOCTISSIMUM

IOHANNEM GODOFREDVM BRETSCHNEIDERVM

NEOSTADIO - DRESDENSEM

Qui nunc Ipse vitam, huc usque laudabiliter actam, modelte exponet:

*Ego, JOHANNES GODOFREDVS BRETSCHNEIDER, natus sum anno 1763, die sexto mensis Octobris Neostadii prope Dresdam, Patre, quod laetor adhuc inter vivos versante, JOHANNE GODOFREDO, Rationario apud Marschallum Aulae Saxonicae Electoralis primarium Lib. Baron. DE SCHÖNBERG, et deinde post ejus mortem apud Vxorem Generosissimam anno 1798. quoque defunctam; Matre vero MARIA SOPHIA, e gente Zoernitziana iam quod doleo mortua. A sexto vitae anno usque ad decimum tertium variis usus sum praeceptoribus domesticis. Hoc vero ipso anno missus a patre in scholam provincialem Misenaе florentem, ibique edoctus sum a Viris Clarissimis, Celeberrimis, b. GOTTLIBERO Rectore, MÜLLERO Conrectore nunc Rectore, ZSCHOKIO Coll. III. nunc Conrectore, SCHRAEGERO Coll. III. nunc Coll. III. et b. KLIMMIO, Mathematico. Tribus annis in schola cum fructu consumptis Dresdam a Patre revocatus. Ibidem apud Chirurgen Neostadiensem b. WAGNERUM per biennium integrum atque dimidium annum tyrocinium sustinui. Quo absoluto lectiones publicas a spectato Collegio medico chirurgico Dresdensi habitas per duos annos audivi. Anno 1782 munere Chirurghi militaris inter legionem equitum armaturae ponderosissimae, quae nomen ipsius Principis Electoralis Celsissimum gerit, functus fui. Anno 1791 laude dimissus Dresdam redii, atque coram Collegio medico chirurgico examen Chirurghi practici*



*etici civilis sustinui. Chirurgiam deinde per dimidium annum exercui in oppidulo Glashütte. Anno 1792 me contuli Vitebergam statimque a Rectore Academiae Magnifico MATTHAEI, P. P. O. in numerum civium academicorum receptus. Adivi scholas Medicorum scilicet Celeberrimi BOEHMERI Therapiae P. P. O. nunc Rect. Magnif. clinicas, physiologicas b. NÜRNBERGERI Anat. et Botan. P. P. O. pathologicas Exp. TITII quibus praeceptoribus omnibus maximas gratias ago. Examine coram Facultate medica spectatissima medici practici superato utramque medicinam huc usque feci Dip-poldiswaldae.*

Nunc vero in Academiam nostram rediit, Examen pro Candidatura sustinuit, et inter Candidatos Medicinae receptus fuit; ut itaque laborum praemia legitime capesseret, decretum est, ut sub Praesidio Excell. Dn. Doct. KREYSIGII inauguralem dissertationem de *morbis simplicibus, a vitio vis vitalis repetendis*, die XVIII. Mens. Mart. publice defenderit. Ad quem solennem Actum EX-RECTOREM MAGNIFICVM, COMITES et BARONES ILLVSTRISSIMOS, PATRES CONSCRIPTOS, FAVTORES et NOBILISSIMOS COMMILITONES omni observantia et humanitate invitamus. P. P. Wittenbergae Dom. Laetare MDCCC.







Botan 521



